



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Adolescens Academicvs Svb Institvtione Salomonis

Musart, Charles

Dvaci, 1633

Schmutztitel

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49007](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49007)

ADOLESCENS
ACADEMICVS
SVB INSTITVTIONE
SALOMONIS.

Collegii S. J. Paderbornae.



STa paululum, mortalis viator, si tantillum consistere permittitur: nam quouis momento abriperis, imo ipso æui fluxu properas ad mortem. Siste tamen animo tantisper, & inprimis Augustam huius ædificij frontem aspecta: tum quis loci sit dominus, quidve istic agatur, inquire: tua plurimum interest, ista ut noris.

Per Arcum, quem vides, Triumphalem, aditus est in hominis mortalium Sapientissimi domicilium, simulque sanctissimum Sapientiæ ipsius Gymnasium. Magnifica foris species, intus aurea sunt omnia, dicere volebam diuina.

Igitur in hoc suauissimum tuæ ætatis hospitium, mi Academice Adolescens, diuerte, Salomoni te instituendum trade, Sapientiam hic disce, id est Eruditionem & Virtutem. Vna ab altera seiungi non debet. Eruditio absque Virtute gladius plumbeus, tumorque animi inani rerum suggestu insolescentis. Virtus absque Eruditione, arx inermis, imbellis, intuta. I modo, & paulò post ad scholam redis: plura audies, cum in Ludum veneris.